



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa

Et In octo Partes ... distincta ...

De Deo Vno, & Trino

Vindalium, 1646

Cap. II. De relationibus diuinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38742

tem diuinā, sed per se quatenus est processio in natura diuina.

✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠

CAPVT II.

De relationibus Diuinis.

CONCLUSIO I.

IN Deo ponendæ sunt relationes reales.) Est de fide, probaturque 1. ex Scriptura, quæ agit de personis diuinis sub nominibus relatiuis Patris, Filij, & Spiritus sancti. At nulla ratio est cur dicamus ea propriè illis non conuenire. Confirmatur, nam vsurpantur in forma baptismi: debent autem formæ Sacramentorum sumi in propria significatione, & speciatim baptismus, cum sit Sacramentum fidei, seu veluti prima fidei professio, debet constare verbis propriis, quæ nobis personas diuinas sub vera aliqua & propria ratione repræsentent, ne fides nostra deceptioni obnoxia sit.

Probatur 2. Nam inter producens, & productum eiusdem ordinis, est vera & realis relatio, vt patet ex Philosophia; at in diuinis vna persona producit aliam, ergo inter illas est vera relatio principij.

producentis, ad terminum productum, & termini producti, ad principium produ-
cens. Confirmatur, nam personæ diuinæ
inter se non possunt distingui realiter,
nisi per aliquid relatiuum, siquidē quoad
absoluta planè idem sunt: ergo cum fi-
des doceat, in Deo tres esse personas rea-
liter distinctas, consequenter fatendum
est in eo esse relationes reales, per quas
constituantur, & distinguantur.

Hoc autem ita intelligendum, vt re-
lationes illæ sint reales, non tantum qua-
tenus identificantur cum essentia diuina,
sed etiã quatenus inter se distinguuntur,
secundum proprias rationes relatiuas; cū
enim personæ diuinæ realiter inter se
distinguantur, idque per relationes, essen-
tia enim vna est in omnibus, consequens
est eiusmodi relationes sub proprio cō-
ceptu relationum, seu vt dicunt ad, esse
verè reales.

Nota 1. eam esse relationem rationis,
quæ ex operatione seu cognitione intel-
lectus resultat in obiecto cognito. nō au-
tem eã quæ cōsequitur opus intellectus,
in ipso intellectu, vt realiter producente
suum terminum; ista enim est realis.

Nota 2. quòd relatio diuina cū non
sit accidens sed substantia perfectissima,
non debet supponere subiectum cui ine-

xistat, aut fundamentum à quo pendeat. Vnde etiam non debet supponere distinctionem extremorum, quæ per illam referuntur, sed potest ipsa talem distinctionem primò constituere.

Nota 3. ex positione relationum in Deo, non bene colligi dependentiã vnus personæ ab alia; quia persona producens & producta habent eandem naturam independentem, & à se existentem. Nec refert quòd dici solet, relata à se mutuo pendere, sensus enim est, vnum inferre aliud seu vno posito, aliud poni; quod sine propria dependentia fieri potest.

Nota 4. etsi Pater vt principium Filij, realiter ad illum referatur, Deum tamen vt principium creaturarum, realiter ad illas non referri. Et ratio discriminis est, quia Filius est eiusdem ordinis cum Patre: at creaturæ infinitè à Deo distant.

CONCLUSIO II. In Deo sunt quatuor relationes reales nempe Paternitas, Filiatio, spiratio actiua, & passiuæ, non autem plures.) Prior pars probatur ex dictis: nam in Deo sunt duæ processionis, alia per intellectum, alia per voluntatem, per primam procedit Filius à Patre, per secundam Spiritus sanctus à spiratore. Quare in Deo sunt quatuor reales relationes ante memoratæ.

Nota, etsi in Deo sint quatuor relationes, non propterea in eo poni quatuor res. Et cum dicitur, multiplicato inferiori multiplicatur superius, respondendum id verum esse, quando inferius multiplicatur ratione alicuius intrinseci, nõ autem si multiplicetur propter aliquid extrinsecum, vt hic contingit; quatenus eadem entitas quæ respiciebat Filium, iam respicit Spiritum sanctum, tanquam terminum distinctum à Filio; vnde paternitas, & spiratio actiua sunt duæ relationes, & vnica res.

Posterior pars suadetur etiam ex dictis, nam relationes diuinæ sequuntur ex processibus, quæ tantum sunt duæ altera per intellectum, altera per voluntatem; cuiuslibet autem processioni respondent duæ relationes tantum, priori quidem paternitas & filiatio, posteriori vero spiratio actiua & passiuæ; vnde sequitur relationes diuinas esse duntaxat quatuor.

Dices, in Deo adhuc esse alias relationes, nimirum identitatis, æqualitatis, & similitudinis. Verum istæ relationes non sunt reales, sed rationis duntaxat, cum non habeant fundamentum realiter distinctum. Vna siquidem persona est idē cū alia, & æqualis, ac similis illi ratione

eiusdē naturæ diuinæ, quæ est in omnibus.

CONCLUSIO III. Relationes diuinæ inter se distinguuntur realiter.)

Est de fide, probaturque 1. ex Concilio Toletano vndecimo, in confessione fidei, vbi dicitur, in relatione personarum numerum cerni; & postea habentur verba illa, hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carēt, quod in se sunt. Item ex Florentino sessione 18. vbi Ioannes Theologus ait ex sententia omnium Græcorum & Latinorum, solam relationem diuina processione personas multiplicare, ita scilicet vt non alia ratione quàm vi relationis, vna persona distinguatur ab alia.

Ex quibus aliisque similibus sic argumentari possumus 1. Ea quæ faciunt numerum, distinguuntur realiter, atqui relationes diuinæ faciunt numerum, ergo, &c. Confirmatur, nam ideo essentia diuina non facit numerum cum relatione, quia ab ea realiter non distinguitur. 2. ea distinguuntur realiter, quæ constituunt personas realiter distinctas, relationes diuinæ hoc faciunt, ergo, &c. Confirmatur nam personæ non distinguuntur per essentiam, ergo per relationes, quæ proinde inter se distingui debent.

Nota tamen 1. Spirationem actiuam etsi realiter distinguatur à spiratione passiuâ, non ita distingui à paternitate, aut filiatione, vt patet ex communi sententia, contra Durandum; tum quia in diuinis omnia sunt vnum, nisi vbi obuiat relatiua oppositio; tum quia in Deo non est quaternitas rerum, vt statutum est in Conc. Lateran. referturque in capite, Damnamus, De summa Trinitate: tum denique, quia quælibet persona diuina est omnino simplex, cuius oppositum sequeretur, si spiratio actiua, quæ est in Patre & Filio distingueretur realiter à paternitate, & filiatione.

Nota 2. quod etsi propositio illa paternitas est spiratio actiua, à Theologis admittatur in sensu identico, quatenus paternitas & spiratio actiua sunt vnica res simplicissima, etsi sunt duæ relationes; ea tamen communiter negatur, quia si vna relatio diceretur de alia, periculum esset ne confunderentur earum termini, qui tamen sunt realiter distincti.

Sed contra hæc dices 1. Eodem modo distinguuntur relationes, ac earum termini: at terminus spirationis actiuæ realiter distinguitur à terminis paternitatis, & filiationis; ergo & spiratio actiua realiter distinguitur à paternitate, & filia-

tionem. Respondeo maiorem incertam esse in creatis, cum multi existiment, relationem prædicamentalem non nisi ratione distingui à fundamento. Et quamuis in iis certa esset, nihil in Deo concludere: quia cum Deus sit infintè perfectus, sicut per eandem entitatem intelligit, & vult; ita per eandem est Pater, & spirator.

Dices 2. Quando vnum absolutum idem est cum alio absoluto, illud etiam idem est, cum omni absoluto ei identificato. Ergo similiter si paternitas, & filiaritas idem sunt cum spiratione actiua, idem etiam erunt inter se; quod tamen dici non potest. Respondeo non sequi, & ratio discriminis est, quia vnum absolutum identificatum cum tertio, non habet oppositionem cum aliis absolutis, vt patet in attributis diuinis, quæ cum essentia identificantur, & inter se: at verò relata, non obstante identificatione cum tertio relatiuo communi, inter se opponi possunt, vt hic contingit; & hoc sufficit vt inter se distinguantur.

CONCLUSIO IV. Relationes diuinæ non distinguuntur actu ab essentia, imò ex probaliori sententia, videntur esse de quidditate illius, sicut vice versa essentia diuinæ est de essentia relatio-

num.) Prima pars probatur, tum quia distinctio actualis repugnat summæ simplicitati Dei, ut patet ex alijs dictis; tum quia natura diuina est illimitata, adeoque sibi identificat perfectiones omnes. cum quibus oppositionem non habet: cuiusmodi sunt relationes personales, quæ licet inter se opponantur, non tamen opponuntur essentiæ: illud autem vulgare, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, non habet locum quando agitur de rebus inter se oppositis, ut hîc contingit, si quidem identificatio cum tertio, non destruit naturam identificatorum.

Secunda pars ostenditur, Primò, quia adæquatum constitutum Dei est ipsum esse infinitum, & illimitatum in omni genere perfectionis possibilis, ut alibi diximus; hoc autem implicite inuoluit omnes perfectiones, tam absolutas, quam respectiuas in Deo possibiliter existentes. Confirmatur, nam quòd diuina essentia sit Trinitas personarum, haud dubiè est maxima perfectio; ergo hoc illi debet competere essentialiter: aliàs non esset essentialiter infinite perfecta, sed tantum denticè.

Secundò, si diuina essentia non includeret essentialiter personalitates, sequere-

tur eam non subsistere per aliquid sibi
essentiale, seu non habere ex propria &
essentia ratione, quòd subsistat; sequela
patet, quia ex communiore sententia de
qua inferius, non datur in Deo vlla sub-
sistentia absoluta, sed tantum tres relati-
uæ per quas deitas subsistit in tribus per-
sonis.

Tertiò, ad hoc præsertim moueor,
quia nihil ferè contra hanc partem obii-
citur, quòd æquè non possit in aduersa-
rios retorqueri, siue quatenus docent ef-
sentiam, & relationem esse vnã entita-
tem simplicissimam, siue quatenus aiunt
essentiam esse de conceptu relationis.
Quomodo enim potest Pater commu-
nicare essentiam, non paternitatem, si ef-
sentia & paternitas non sunt duæ entita-
tes distinctæ, sed vna simplicissima? Quo-
modo Pater prius origine quàm generet
Filium est completè Deus, si filiatio est
realiter & omnino identicè ipsa diuini-
tas? Quomodo non est verum, diuinita-
tem generare & generari, si paternitas &
filiatio, ab ea nullo modo distinguuntur
nisi per rationem? Quomodo potest rela-
tio modificare, & veluti determinare ef-
sentiam, si ipsa essentia includitur in
formali conceptu relationis? Ista sane &
similia ab omnibus explicanda sunt per

distinctionem virtualem, quæ intra ipsam
essentiam Dei poni solet. Quare cum
aliunde cōclusio proposita ad maiorem
perfectionem diuinitatis conducat, non
immerito vt probabilior amplectenda
est.

Tertia pars suadetur, nam quidquid
est in Deo, est Deus, vt vulgo docent
Theologi, ergo quælibet relatio diuina
est Deus; At Deus est id quo nihil me-
lius aut perfectius excogitari potest;
quare relatio debet includere deitatem,
etiam essentialiter; cum hoc sit perfe-
ctius, quàm illam includere tantum
identice. Confirmatur, nam relatio di-
uina, vt sic, dicit essentialiter modum
essendi perfectissimum, atqui modus es-
sendi perfectissimus relationis est, vt ex-
plicitè dicat perfectionē respectiuā in-
finitam, implicitè vero inuoluat omnem
perfectionem absolutam.

CONCLUSIO. V. Relationes
diuinae sub proprio & formali conceptu
relationum, dicunt perfectionem.) Pro-
batur primò, quia quod dicit entitatem,
dicit perfectionem, relatio in Deo dicit
entitatem, ergo & perfectionem: Maior
patet ex Metaphysica, nam ens & bonum
conuertuntur, bonum autem & perfectiō
idē sunt probatur minor, nā Pater, verbi

causa, distinguitur à Filio per aliquid; ergo per entitatem, ergo cum distinguitur per paternitatem, vt sic, hæc dicit perfectionem aliquam realem verè Patri competentem.

Probatur secundò, nam illud est perfectum, per quod constituitur persona in ratione personæ, ex S. Thoma 1. p. q. 29. art. 3. at persona diuina constituitur in ratione personæ per relationem, vt infra dicemus, ergo ratio diuina, vt sic, dicit perfectionem. Confirmatur, quia quod Deitas sit subsistens, est magna perfectio, at non est subsistens, nisi per tres substantias relatiuas, vt inferius dicetur.

Probatur 3. nam illud dicit perfectionem, cuius priuatio affert imperfectionem: at Deus esset imperfectus, si in eo relationes non essent; sic enim non esset in Deo Trinitas personarum, adeoque nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus; sic diuinitas non identificaretur tribus suppositis realiter distinctis. quæ summa & infinita est perfectio: sic Deus non esset fœcundus, nihilque posset producere ad intra, siue per intellectum, siue per voluntatem, &c.

Nota 1. quòd sicut paternitas est entitas distincta à filiatione, ita perfectio paternitatis, vt sic, distinguitur à perfe-

Etione filiationis; Cùm tamen essentia diuina, quæ omnes perfectiones etiam re-
latiuas includit, sit in singulis personis, &
quælibet persona sit in aliis per circum-
infectionem, de qua infra. Hinc absolutè
d ei non potest, aliquam perfectionem
esse in vna persona, quæ non sit in aliis.

Nota 2. relationes præcisè spectatas
dicere tantum perfectionem infinitam in
suo genere, paternitatem in ratione pa-
ternitatis, & sic de aliis: absolutè verò, &
vt sunt à parte rei dicere perfectionem
simpliciter, & in omni genere infinitam:
siquidem quælibet includit essentiam di-
uinam, in qua omnes perfectiones, tam
absolutæ, quàm respectiuæ formaliter
continentur.

Vnde si quis dicat, diuinas relationes
veluti distingui specie, quæ autem specie
distinguuntur non posse esse æqualis per-
fectionis: Respondetur id vt summum
verum esse de iis, quæ ita distinguuntur
inter se, vt nihil habeant commune per
quod eiusmodi inæqualitas tollatur; cuius
oppositum contingit in relationibus di-
uinis, propter summam identitatem
quam habent cum essentia diuina.